



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

*MANAËNSIS-PARINTINENSIS**

AB ECCLESIIS MANAËNSI ET PARINTINENSI QUAEDAM TERRITORIA DETRAHUNTUR,
QUIBUS TRES NOVAE PRAELATURAE *NULLIUS* CONSTITUUNTUR, «BORBENSIS»,
«COARITANA »
ET «ITACOATIARENSIS» APPELLANDAE.

Ad Christi, divini hominum Magistri, similitudinem, qui in has terras idcirco descendit ut cum hominibus non modo immortalē vitam communicaret, sed abundantius per suam mortem communicaret (cf. *Io.* 10, 10), et Nos, Quos nuper Deus, quamquam viribus impares omnino sumus tanto oneri ferendo, ad regendam et administrandam christianam rempublicam secreto consilio vocavit, in hoc industriam Nostram omnem ponimus ut, bene rebus in omnibus Ecclesiis dispositis, non solum populi aeternae vitae adipiscendae copiam habeant, sed abundantius, quantum in Nobis, habeant. Qua de causa, cum venerabilis Frater Armandus Lombardi, Archiepiscopus titulo Caesariensis Philippi et in Brasilia Apostolicus Nuntius, ante locorum Ordinariis sententiam rogatis, id Proposuerit ut nonnulla territoria ab Ecclesiis Manaënsi et Parintinensi separata in formam praelaturae «nullius» redigeremus, Nos consilio expetito a venerabilibus Fratibus Nostris S. R. E. Cardinibus Sacrae Congregationi Consistoriali praepositis, apostolica Nostra autoritate, haec quae sequuntur decernimus et iubemus. Ab archidioecesi Manaënsi sequentia municipia, ut sunt per civilem legem terminata, detrahimus, nempe: Autazes, Axini, Borba, Canûma, Miriti, Nova Olinda do Norte, Novo Aripuaña, Prainha; a praelatura vero «nullius» Parintinensi municipia Mundurucús et Paraconí separamus, item lege civili finita; quibus territoriis novam praelaturam constituimus *Borbensem* nomine, cuius erit urbs Borba caput et Episcopi domicilium, templo S. Antonii Patavini ibidem exstante, quod populus «Santuário do Santo Antonio de Borba» vocat, ad praelaticii dignitatem evecto. Item ab archidioecesi Manaënsi territoria municipiorum Aiapuá, Anamâ, Anori, Beruri, Camará, Coarí, Codajás, Manacapuru, Piorini dividimus, novamque ex iis praelaturam condimus, *Coaritanam*

appellandam. Erit huius nome circumscriptionis sedes Urbs Coari, templum vero praelaticium id erit, quod est S. Annae dicatum. Tandem ab eadem archidioecesi municipia distrahimus: Eva, Itacoatiara, Itapeassu, Itapiranga, São Sebastião, Silves, Uruará, Uruçurituba; ex quibus tertiam praelaturam fundamus, *Itacoatiarensis*, cognominandam, id statuentes ut Praelatus sedem suam in civitate Itacoatiara ponat, cathedram nutem in templo B. M.V. a SS. Rosario (Nossa Senhora do Rosario), quod scilicet ad gradum templi praelatici extollimus. Omnes autem Ecclesias quas excitavimus subiectas esse tamquam suffraganeas archidioecesi Manaënsi decernimus. Curent sacri Praesules, quibus hae praelaturae regendae committentur, idque grave onus habeant, ut Seminarium saltem minus in unaquaque struant, pueris bonae spei excipiendis, qui ad sacerdotium Dei benignitate excitentur; cum vero iuvenes theologiae atque philosophiae studere debeant, qui fuerint optimi Romam mittantur, in Pontificium Collegium Pianum Brasilianum. Mensas, quae dicuntur, praelaticias efficient: dos ab auctoritate civili statuta, fidelium collationes, bona quae iuxta canonem 1500 C. I. C. novis Ecclesiis provenient. Ad clerum quod attinet, statuimus ut sacerdotes qui, his Litteris ad affectum adductis, in novarum praelaturarum territorio beneficium vel officium habeant, iisdem ascribantur; ceteri clerici, Seminarii que tirones ei, in qua legitime degant. Monemus praeterea ut documenta et acta quae ad novas circumscriptiones respiciant, cito ad earum Curias mittantur, ibique religiose serventur. Ceterum, volumus ut has Litteras Nostras venerabilis Frater Armandus Lombardi exsequi curet, vel quem ipse delegaverit. Re vero confecta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittantur.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere licent; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostris primo.

IACOBUS A. card. COPELLO S. R. E. Cancellarius	CAROLUS card. CONFALONIERI S. Congr. Consistorialis a Secretis
---	---

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Ioannes Calleri, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 8, pp. 493-495

© Copyright 1963 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana